410.8

DE VSV IVRIS LANGOBARDICI

APVD ECCLESIASTICOS MEDII AEVI

Diſſertationem Inauguralem

ILLVSTRISSIMO, ET CLARISSIMO VIRO

FERRANTI CAPPONIO

Senatori Grauiſſimo, Comiti, & Equiti Splendidiſſimo

D. D. D.

ANTONIVS FRANCISCVS PIERI

Publicus in Piſana Academia Iuris Pontificii Lector Extraordinarius.



FLORENTIAE. MDCCXLIV.

Ex Typographia D. Adnunciatae. *Cum Adprobatione.*

ILLVSTRISS. ET CLARISS. VIRO

FERRANTI CAPPONIO

Senatori Grauiſſimo, Comiti, & Equiti Splendidiſſimo

ANTONIVS FRANC. PIERI

S. P. D.

CVM TIBI Viro Illuſtriſſimo, atque Clariſſimo, Diſſertationem hanc, primum ſtudiorum meorum fructum dedico conſecroque, ſi eorum ſequi ueſtigia uellem, qui illuſtrium Patronorum, quorum ſub auſpiciis lucubrationes ſuas publici iuris faciunt, dignitates omnes, amplitudines, auorumque fortia facta, bre-

ui Epiſtolae circuitu complecti ſtudent, plus quam par eſt progrederer, & quae uniuerſo literarum orbi ſunt nota narrarem. Quonam enim Capponianae Gentis militaris uirtus, accuratiſſima in rebus publicis adminiſtrandis ſolertia, & benefica in literatos uoluntas longe lateque, uagata non peruaſerunt? Non tam noſtrae, quam exterae Gentes mirantur Ginum illum Maiorem Tuum, Piſarum poſt longam obſidionem expugnatorem, cuius uirtuti ac ſtrenuitati Pandectarum celeberrimos codices Florentia debet. Atque o utinam poſſem pro dignitate recenſere & eos quam plurimos, qui libera adhuc ſtante ciuitate primum Reipublicae gradum tenuerunt; & ingentem eorum numerum, qui Medicea Familia imperante Senatoria dignitate claruerunt; & eos qui apud exteras Gentes maximos ſibi honores compararunt. Libenti ſane animo commemorarem & Ginos reliquos, & Nereum, & Petrum, & Nicolaum, & Ludouicos, & Vincentium, & Ferrantem Piſanae huius Academiae Auditorem & Moderatorem uigilantiſſimum, & Americum, & Camillum Romanae Arci S. Angeli Praefectos, & Camillum alium Senatorem, Genitorem tuum, quem Coſmo III. maxime gratum publica praedicant monumenta. Neque omitterem Alexandrum Romae nunc degentem, praeclarorum ingeniorum Mecoenatem beneficentiſſimum, Summumque Pontificiorum Me-

tato-

tarorum Praefectum. Sed non in eo es numero, qui aliena egeas gloria ut efficiaris illuſtrior; in Te enim eminent uirtutes omnes, quibus quidquid in egregio homine laudis eſſe poteſt in Te ipſo complecteris. Enimuero tantam in rebus agendis, difficillimiſque tractandis negociis prudentiam Tibi comparaſti, ut Te potiſſimum Sereniſſimus Franciſcus Mediceus hereditati ſuae adminiſtrandae una cum Principe Corſinio, & Sereniſſima Violantes ſupremae ſuae uoluntati exſequendae, praefecerint. Maxima in omnes uſus es humanitate dum quatuor difficiliorum Magiſtratuum Praefectus extitiſti. Quo uero in literas, earumque cultores animo fueris, apertiſſime teſtantur & Academia Cruſcana, quae Te bis Archiconſulem elegit; & Clariſſimi Viri, qui vel ſcripta ſua Tibi conſecrarunt, vel Tuam beneuolam cum iis conſuetudinem in libris ſuis commendarunt; & maxima cura ac diligentia, quam ad praeſtantiſſimam Liberorum Tuorum indolem, eximiumque ingenium doctiſſimorum Virorum ope erudiendum, contuliſti. Tandem, ut paucis omnia comprehendam, dum ſumma prudentia, integritate, ac magnanimitate in omnes uteris, maxima humanitate ac beneuolentia eos proſequeris, qui uel literarum bonarumque artium lumine fulgent, uel earum curriculum ingrediuntur. In quorum poſteriorum numero cum ego unus ſim, quem & plurimis, iiſque maximis

be-

beneficiis cumulaſti, & qnem paene iacentem ad ſpem melioris fortunae erexiſti, ideo hoc quamuis exiguum grati animi teſtimonium TIBI potiſſimum Viro Illuſtriſſimo, atque Clariſſimo nuncupandum exiſtimaui, quod dum comiter ac libenter precor accipias, ut diu incolumis, beatuſque uiuas etiam atque etiam exopto.

Dabam Piſis VII. Id. April. An. MDCCXLIV.

Google

(VII)

DE VSV IVRIS LANGOBARDICI

APVD ECCLESIASTICOS MEDII AEVI

Diſſertatio Inauguralis

Habita in Schola Magna Piſani Lycei IV. Kal. Ian. MDCCXLIII.

Quum publicam Lectoris Extraordinarii Iuris Patrii . . munus auſpicaretur .

ANTONIVS FRANCISCVS PIERI

Almi Collegii Ducalis Alumnus, Academiae Rudium Conſul. & Academicus Inexpertus.

EA eſt in qua uerſamur, Excellentiſſimi Patres, Auditores Ornatiſſimi, literarum, bonarumque artium felicitas, ut diſciplinas illas, quae ueram quamdam praeteleruntt, & non fucatam, aeſtimationem, inani ſuperuacaneae commendationis loquacitate proſequi nullatenus oporteat. Etenim ex quo diuinum quoddam, ut ita dicam, ueritatis lumen mortalium mentibus adfulſit, & ſenſim de alio in alium ſeſe transfudit, ad ea perfruendum puriſſima diſciplinarum luce peruentmus, quae ridiculas plane, & inficetas ineptias omnes ac nugas, in quibus olim potior ſapientiae pars collocabatur, e celeberrimis Academiis expulit atque exculcauit, & iis tantum colendas abiecit, qui denſis adhuc tenebris circumuoluti, uae ex inſtituto uitam otio tranſigere, aut labore uere improbo multa ſubeuntes, ad ſummum nihil aliud agere quam miſeras auditorum aures furili quadam ac inani uerborum copia onerare, decreuerunt. Hinc qui noſtra hac florentiſſima aetate ad explicandas optimas artes decreto publico uocati ſunt, miſſo ueteri diuque ſervato inſtituto ab earum laudatione auſpicandi, longe lateque amoeniorem & utiliorem inſiſtunt uiam; uel enim hiſtoricam contexunt narrationem facultatis, quam ſunt tradituri, uel, ut eiuſdem eleganriorem partem aliquam exornent atque illuſtrent, totis uiribus entruntur. Abutar itaque ego humanitate & patientia ueſtra, Auditores? niſi mea me fallit opinio non eo utique tendit oratio noſtra. Nam ut Ornatiſſimorum Iuuenum a Conſiliis beneuolentia publicum hoc munus mihi decreuit, non aliud magis cordi fuit quam ut argumentum ſeligerem, quod & exſpectationi ueſtrae, & muneri quo fungor, ſi non omni, ſaltem aliqua ex parte, reſponderet. Cum

ue-

Google

uero Iuris, quod a Canonibus adpellatur, hiſtoriam omnem breui oratione complecti non poſſim, hinc ad eam tantummodo illuſtrandam animum adpuli, quae caliginiſa Italiae tempora comprehenderet. Facere nempe verba quaedam decreui de legibus, moribus, ac inſtitutis Langobardicis, quae medii aeui, ut uocant, temporibus apud Eccleſiaſticos obtinuerant, & ea tempora breuiter dumtaxat animadvertere, quae a Langobardorum irruptione interfluxerunt ad uſque non tantum Lotharium II. (*a*) ſed & ad initia ſaeculi XIII, quibus adhuc Langobardorum Leges obtinuiſſe eorum temporum monumenta demonſtrant. (*b*) Neque uero id mihi adſumpſi, ut longam iuſtam & accuratam enumerationem Canonum omnium, & Decretalium, quarum uerba, vel ſenſus, aut Langobardorum redolent mores, aut in eorum legibus reperiuntur. Vlu enim expoſito, quem apud Eccleſiaſticos habuere Langobardicae Leges, ad ea delibanda deflectet oratio, quae ad Eccleſiaſticorum iudicia eorum temporum propius accedunt; ubi, quid a legibus, ac moribus Langobardicis in Ius Canonicum inlatum ſit, animaduertam. Faueatis interim quaeſo obteſtorque A. A. & eunde dicenti benignas aures commodetis.

Iam inde a primis Eccleſiae temporibus factum eſt A. A. ut qui ex Chriſtianorum coetu litibus agitandis operam dare uoluiſſent, non ciuilibus Magiſtratibus, & fori frequentatione cauſas terminarent, ſed eas ex paterno Epiſcopi arbitrio & aequitate ſopirent, amicabiliterque componerent, id praecipue monente Apoſtolo, qui Corinthiis quaeſtiones ad Ethnicorum tribunalia trahentes redarguit. (*c*) Ea fuit deinde poſteriori quidem aetate Epiſcoporum probitas, atque integritas, ut non ſolum eorum arbitrio plurimi ſponte & libenti animo ſeſe ſubiecerint, ſed & Imperatores ab iis plurima negotia ciuilia peragi uoluerint. (*d*) Qua de re, quamuis ab his iudiciis procul ablegarentur in iis mo-

(*a*) Sigonius *de Reg. Ital. Lib.* 4. *ad an.* 774. & *Lib.* 15. *ad an.* 1137 aliique eum ſequuti putauerunt a Lothario II. Leges Langobardicas, ſancitas, aliaſque abrogatas fuiſſe. Sed uide notas 7. & 56. his Sigonii locis adfixas *pag.* 131. & 681. edit. Med. an. 1732.

(*b*) Longe poſt Lotharium II. tempera Leges Langobardicas uiguiſſe in foro cuineit frequens illa formula: *Ego N. qui profeſſus ſum ex natione mea Lege uiuere Langobardorum*, quae in chartis contractuum, & teſtamentorum reperitur etiam poſt Lotharium II. ut erudite animadvertit Vir Cl. & doctiſſimus Lud. Ant. Muratorius in *Praefat. ad Leg. Lang. Rer. Ital. Tom.* 1. *Par.* 2. *pag.* 4. & *Antiq. Ital. Diſſ.* 22. *pag.* 280. & 285. Et Guid. Grandi in *Epiſt. de Pandect. pag.* 20. & *ſeq.*

(*c*) I. *ad Cor. cap.* 6. *verſ.* 1. & *ſeqq.* Van-Eſpenius *Jur. Eccl. Univer. Par.* 3. *tit.* 1. *Cap.* 1. *n.* 2. & *ſeqq.*

(*d*) *L.* 22. & *ſeqq. Cod. de Epiſc. Aud.* Claudius Fleury *Inſt. Canon. Par.* 3. *cap.* 1. *n.* 3. *p.* 59. *edit. Francof. an.* 1733.

nocationes, actionum editiones, uadimonia, aliaeque omnes formulae mcroſiores Iuris Ciuilis, (e) tamen cum ſine diuinarum, atque humanarum rerum notitia, ſine iuſti atque iniuſti ſcientia Ius probe dici, & adminiſtrari non poſſit, hinc Epiſcopi, qui iuri ex aequitate dicundo nauabant operam, uel eorum delegati, aut arbitri ex norma Legum Ciuilium progrediebantur, quarum ſi minus periti eſſent doctores ſibi adſciſcebant Iuriſconſultos. (f) Hinc plura in Canonicas Leges fluxere, quae aut ex Legibus Ciuilibus de integro deprompta ſunt, aut ſaltem ex illis omnino pendent. Non opus eſt uobis memorem manumiſſiones, in integrum reſtitutiones, praeſcriptiones, legata, fideicommiſſa, ſexcentaque huiuſmodi, quae Romani tantum Iuris ſunt propria, & quae in Decreto, Decretalibus, Sexto, Clementinis, Extrauagantibus, reperiuntur. Scilicet Romani Pontifices Iuſtiniani, aliorumque Romanorum Imperatorum Leges ſemper maximo ſtudio & ueneratione proſecuti ſunt, (g) quarum iis dumtaxat ad uſque Langobardorum tempora ſine aliarum intermixtione uti potuerint. Etenim, quamuis Gothi Arriana imbuti perfidia, & haereticorum omnium crudeliſſimi, priſtinum Italicae dignitatis decus attenuauerint, atque imminuerint, tamen non tantum nihil ferme de priſtinis moribus, legibus, ac inſtitutis immutarunt, (h) ſed & Romanam Eccleſiam maximo honore cumularunt. (i) Verumenimuero alia fuit Langobardis politicae gubernationis ratio. Gens natura prae aliis inculta atque aſpera, gentilitatis errore infecta, & militari praeterea exercitatione efferata, non tectis atque agris tantum, ſed & ſacris aedibus, depopulationem uaſtitatemque intulit, Sacerdotes interfecit, indigenis eorumque inſtituta contempſit, eumque ordinem regiminis inuexit, qui barbaris ante erat moribus ſuis (k). Agreſtis huius populi Reges, qui Legibus condendis operam dedere, quamuis a priſtina maiorum barbarie ualde differrent, tamen, ne quid cum nouis priſtiniſve Italiae incolis commune eſſet, conſuetudines ab antiquiſſimis temporibus uſu iam conſtitutas ſcriptis mandari curarunt, & rudi

 illa

(e) L. 7 Cod de Epiſc Aud, Baſ ep. 247 Gregor Nyſſ in uita Greg Neocaeſ. Ambroſ ep 24 & Lib 2 Offic cap. 24 Aug in pſal 118 in Lib. de Oper Monach cap 20 & alibi.

(f) Ludov Thomaſ Vet & Nov Eccleſ Diſc Par 2 Lib 3 cap 104. n. 8

(g) Ioan. VIII. Leges Romanas, uenerandas, & diuinas per ora piorum Principum promulgatas, adpellat apud Gratian. c fin 16 qu 3. vide etiam c. 23. diſt. 10. c. 38. 11. qu. 1. c. in nomine 2. de teſtib. & atteſt. Alteſer Rer Aquit c 16. p 219 & ſeqq

(h) Donatus Aſſenſis in Libro Dell' uſo, e autorità della Rag. Civ. &c. Lib 1. Cap 2

(i) Barun. ad an. 410. n. 27. Tom. 6 p 583 edit Luc.

(k) Paul Diac de Geſtis Langob Lib. 7 cap 32. Gregor. Mag Dialogor. Lib 3. cap 38.

illi populo pro legibus eſſe uoluerant. Rotharis primus Spartam hanc adgreſſus eſt, cuius ueſtigiis inhaerentes Grimoaldus, Liutprandus, Rachis, & Aiſtulphus, corpus quoddam Langubardici Iuris conſtituerunt, quo eorum ſubditus moderati ſunt. (l) Langubardorum regno euerſo, & prorſus a Carolo Magno deleto, non ideo eorum Legibus ac Inſtitutis derogatum fuit, quinimo non tantum & eamdem regiminis formam paucis immutatis Carolus conſeruauit, & eorum Legibus nouas adiecit, uerum etiam & alias, quas nondum Italicum ſolum audiuerat, Salicas nempe, ſeu Francicas, Alemannicas, Ripuarias, Gundeba las, cum populis a Septemtrione erutis ſecum adduxit. (m) Quid inde Romano fuit obuenerit, quae triſtia fata ſubſtulerit, notiora ſunt, quam ut profiteri ſcribere audeamus, minora uero quam eruditis quibuſdam uideantur. Nam & Langubardorum, & Caroli Magni temporibus Ius illud obtinuiſſe egregie cordati uiri ualidiſſimis argumentis iam demonſtrarunt. (n) Carolo e uiuis erepto Ludouicus ille cognomento Pius, qui paterna regnorum, imperiique Iura ſuſcepit, aliis & ipſe Legibus Langobardicum uolumen amplificauit, utque edixit, *ut omnis ordo Eccleſiarum ſecundum Legem Romanam uiueret*. (o) Lutharius deinde, cum leges, quas ex Caroli & Ludouici Capitularibus in uniuerſa Italia ſeruari mandauiſſet, uni tantum Romano populo legem eligendi optionem dedit. (p) Sed plus aequo abuterer patientia ueſtra A. A. & longius a ſcopo aberrarem, ſi, leges ad Eccleſiaſticam, Ciuilemque politiam pertinentes, quibus Franci, Italici, Germanici, Italiae Reges Langobardorum codicem Legum locupletarunt, omnes perſequi uellem, & oratione complecti. Barbaris itaque legibus a Boreali ad Italicum ſolum traductis, & in eo ueluti in proprio radicibus earum alte defixis, ne in tanta earum diſſimilitudine & varietate, ita confunderentur potius quam dirimerentur, ideo ſancitum ea tempeſtate fuit, ut quiſque eam legem, qua vivere vellet, ſollemni formula apud iudices profiteretur. (q) Sed quamuis, ut nuper a Ludouico ſtatutum memorauimus, omnes Eccleſiaſtici ordinis uiri tam Saecu-

lares,

(l) Langubardicas Leges ordine chronologico edidit Cl. Muratori in ſuo Rer. Ital. Script. Tom. 1. Par. 2. qua eleganti editione utar, quando eas proferri rerum ratio poſtulat.

(m) Antiq. Ital. diſ. 22.

(n) Donatus Aſtius in opere Italico Dell' Uſo, e Autorità delle Ragion Civile nelle Provincie dell' Imp. Occid. ſpe demonſtrante Romanas Leges obtinuiſſe ſub nominibus Medii Aevi non tantum in Italia ſub Langobardis, aliiſque Italiae Regibus Lib. 1. cap. 2. 3. & 6. ſed & in Gallia ſub Merovingis cap. 7. in Hiſpania ſub Gothis cap. 8. in Anglia ante & poſt irruptionem Anglo-Saxonum cap. 9. & in Germania cap. 10.

(o) L. 55. Lang. Lud. Pii: Antiq. Ital. diſ. 22 p. 263. & ſeqq. Donat. Aſten Lib. 1. cap. 5. p. 81.

(p) L. 35. Lang. Lothar. I. Donat. Aſten. d. Lib. 1. cap. 3. p. 38.

(q) Eodem Lib. 1. Donat. Aſten. cap. 5. p. 80.

lares, quam Regulares Romana lege regi debuiſſent, tamen innumera eorum temporum monumenta reperiuntur, in quibus Eccleſiaſtici non tantum Romana, ſed & Longobardica, quinimo etiam Salica, quae rarius in foro producebatur, uſi ſunt. (r) Erant nempe qui legem illam non neſui imperantem, ſed tantummodo indulgentem interpretarentur, ita ut quicumque Monaſterio, aut Clero nomen ſuum dediſſet, utendi Romana lege facultatem haberet. (s) Neque erit quod miremur Epiſcopos, Presbyteros, Monachos, aliosque divini muneris miniſtros Langobardicae potius legi, (caeterae vero ſilentio praeteream ad eas enim non tendit oratio noſtra) quam Romanae maluiſſe obtemperare, ſi animadvertamus eorum temporum immanem diuturnamque barbariem, qua Italia omnia obruebatur, ſi ad animum revocemus eam, quae inde ortum duxerat, non ſolum bonarum artium ſublimiorumque diſciplinarum, non dicam tantum pingendi literae, verum etiam & ipſius alphabeti ignorantiem, qua & ii detinebantur, qui ad maximos in Eccleſiaſtico ordine gradus conſcenderant, (t) ſi denique mente animoque perpendamus leges ipſas Longobardicas neque faeces eſſe potius quam leges, a beſtialibus, (ſi liceat verbis uti Lucae de Penne (u)) & irrationabilibus factas, neque (voci parum convenienti date quaeſo veniam) neque, inquam tantum, aſininas, ut vocavit Andreas de Iſernia. (x) Non illud ſane mihi adſumpſi ut contendam cum Romanorum aequitate, & elegantia aliquatenus eſſe comparandas, ſed illud profiteor & prae me fero non adeo immani barbarie & crudelitate laborare, ut eae, veluti ab hominibus conditae omni ratione expertibus, pro nihilo ſint putandae, & prorſus deſpiciendae. Ferebantur huiuſmodi leges a Regibus, non ut antea Gentilitatis, vel Arrianiſmi labe infectis, ſed Orthodoxae Fidei cultoribus, (y) & pietate, iuſtitiae, clementiae, ac humanitatis amore flagrantiſſimis. (z) Aderant ad his conventibus Longobardorum Iudices omnes, qui ea quae ſupplenda, corrigenda, aut confirmanda erant, ſuppeditabant. Aderant Epiſcopi, ut praeſertim, quos Gallica, Italici, & Germanici Reges celebravere, a quibus ea, quae Divinis Legibus congruentia vel diſcrepantia viderentur,

con-

(r) Rorius Epiſcopus Paravinus Xenodochio S. Iuſtinae a ſe aedificato magnificam donationem terrarum & ſervorum fecit ſecundum Legem Salicam an 874 Antiq Ital Diſ 56 p 784

(s) Antiq. Ital Diſ 22 p. 163 & ſeqq.

(t) De Epiſcopis analphabetis vide plura apud Mabillon de Re Dipl Lib 2 cap 11 Saec adhuc XIII Honorius III Epiſcopum quemdam adeo ſupina laborantem ignorantia, ut nunquam Donatum legerit, a Pontificalis officii executione amovit Cap 15 de aetate, & qual & ord praeſ.

(u) In L. un Cod. de gladiator & in L 1 Cod de conductor & procur praed. Lib 11.

(x) In cap 1. § fin de vetis Feudorum

(y) Agilulfus enim primus, ut Theodelindae uxori morem gereret, Catholicam Fidem amplexus eſt Sigon de Reg. Ital Lib. 1. an. 591 p 49 & 50.

(z) Antiq. Ital. Diſ 23 p 301

Digitized by Google

conſilium capiebatur. Aderant Primates, Principes, Populus, ex quorum omnium ſententia atque conſenſu decernebantur, tum quae ad ſocietatem, communitatemque generis humani continendam, tum uero quae ad Religionem ſaluam, incolumemque reddendam, & ad reſtaurandam conſeruandamque Eccleſiaſticam diſciplinam expedire uidebantur. (a) Hinc ſenſim in Ius Canonicum iura, ac inſtituta Langobardorum inlapſa, adeo in cauſſis Eccleſiaſticis eorum temporum obtinuerunt, ut & ipſa Concilia pari honore eorum Leges proſequerentur, ac Sanctorum Patrum ſententias; ipſi Romani Pontifices eas cuſtodire ſe uelle profiterentur; ſacrorum Canonum Collectores & Interpretes eis aliquando uterentur. Extat in Concilio Rauennatenſi habito an. 904. cui Ioannes Papa IX. & Lambertus Imperator interfuerunt, anathema in eos, *qui Sanctorum Patrum regulas contempſerint, & glorioſiſſimorum Imperatorum, Caroli uidelicet Magni Imperatoris & Ludouici atque Lotharii, necnon & filii eius Ludouici, quae de Eccleſiaſticis Decimis in eorum Capitularibus ſtatuta atque ſancita ſunt, non obſeruauerint* (b) quae ad leges de Decimis inter Langobardicas inſertas, (c) referenda eſſe aſſerere non dubitat Vir Cl. totius Italiae decus, Muratorius. (d) Extat Gregorii ad Conſtantiam Galliae Reginam Epiſtola, (e) qua Pontifex eam *Sanctiſſimam* de Eccleſiaſtica pace commonet, & ut Eccleſiaſticarum rerum inuaſores puniantur Rothatianam Legem pro ſe inducit, &ſere ad uerbum tranſcribit. (f) Extat Epiſtola Leonis Papae IV. ad Lotharium, (g) qua contra criminationem reſpondit ad Imperatorem delatam, quod is Regum Francorum Capitularia contemneret, & ea ſe uelle omni tempore irrefragabiliter cuſtodire & conſeruare modis omnibus profitetur. Extat Innocentii huius nominis III. celeberrima Decretalis, (h) in qua Ius Langobardicum adhuc uigens commemoratur, & ibi Ius illud per Canones approbari Ioannes de Lignano, Hoſtienſis, Alteſerra, Boerius aſſerunt. (i) Extant denique tot tantaque eorum temporum monumenta, ex quibus luce clarius adparet Ius Langobardicum in Ecle-

(a) Haec omnia uide in Prologis o Regibus Imperatoribusue ueraſinis Edictorum ſuorum publicationi, & quos integros euulgauit Cl. Muratorius in laudata Legum Langobardicarum R. Ital. [illegible] par. 2.
(b) Labb. Conc. [illegible] Tom. 9. p. 508.
(c) Tit. 9. Lib. 3.
(d) In Praefat. ad Leg. Lang.
(e) Cum [illegible] 8. [illegible] q. 2.
(f) L. 19. Lang. Roth.
(g) Cap. de [illegible] 9. [illegible] Vt huius Epiſtolae [illegible] & [illegible] uerior intelligat legenda omnino ſunt, quae ad ipſam adnotauit Steph. Baluz. in Praefat. ad Capitul. Reg. Franc. Tom. 1. n. 24. & ſeqq. atque ad n. 31. Natal. Alexan. in Hiſt. Eccl. Tom. 6. cap. 2. art. 9. [illegible] 11. edit. Pariſ. an. 1699. & Cl. Murator. in Praef. ad Leg. Lang.
(h) C. Raynutius 16. de teſtamentis.
(i) In de Leg. & Hoſt. in repetit. ad hanc Decretal. Alteſer. in Commen. [illegible] in ſing. Decretal. Innoc. III. Boer. in Praefat. in Leg. Lang.
(k) Plurima huiuſmodi monumenta [illegible] Antiq. Ital. Diſſ. 22. & alibi paſſim.

cleſiaſticis cauſſis obtinuiſſe, (*k*) ut ea omnia numerando percenſere, nec inſtituti ordinis ratio, nec brevis temporis anguſtiae patiantur. Non poſſum tamen quin eam mentem redigam egregia pro Monaſterio Farfenſi *Placita*, (*l*) iudicia nempe, in ipſa Urbe Roma, & coram Pontificibus habita, in quibus eiuſdem monaſterii Abbates Capitulis Langobardorum Legis, non vero Romanae, iudicandos eſſe mordicus ſemper contendunt. (*m*) Quo factum ut in iiſdem placitis non tantum Romanos Iudices, nempe Romanarum Legum Peritos, ſed & Langobardicos ſibi adſciviſſe Pontifices deprehendamus, quae peculiaris erat eorum temporum conſuetudo, quoties diverſis legibus actor, vel reus apud Iudicem ambigebant. (*n*) Et ſane ecquis nam adeo varias, adeo diſſitas, adeo a propriae nationis genio diverſas leges ita ſolus callere potuiſſet, ut controverſias omnes difficultateſque, quae inde naſcerentur iuſte recteque ad earum normam collimare valuiſſet? Quare de re cum neceſſaria quodammodo redderetur Iudicum diverſitas iis in iudiciis, in quibus diverſis legibus agebatur, quis non videt eamdem quoque rationem retinendam oportuiſſe etiam in placitis illis, quae Eccleſiaſticorum cauſſa diverſis Legibus addictorum convocabantur? Replicate memoriam barbarorum annalium, & monumentorum A. A. & eam tunc temporis fuiſſe Eccleſiaſticorum hominum conditionem deprehendetis, ut ferme in iis quae ad forum, civileſque cauſas pertinebant, ne hilum quidem a ſaecularibus viris differre paret. Tabularia recludite & perluſtrate, & Epiſcoporum, Abbatum, Sanctimonialium, aliorumque omnium Eccleſiaſticorum cauſſas coram Regibus, Ducibus, Comitibus, Regiis Miſſis, Marchionibus, aliiſque huiuſmodi Iudicibus, in placitis diſceptatas fuiſſe invenietis, iiſdem legibus, formulis, ac inſtitutis, eademque plane ratione, qua laicorum lites & controverſiae dirimebantur. (*o*) Quare & iubebantur Eccleſiaſtici ordinis viri, illis intereſſe generalibus conventibus, quae *malla*, & *placita* inter lum propriis illius aevi vocabulis appellantur. (*p*) Diſceptabantur in illis maiores cauſſae, populus omnis, ac totius Regni Proceres ad ea convenire tenebantur, ut ſi quae de iis querelae fierent, coram Rege, vel Iudice Regio, qui univerſae praeerat concioni, reſponderent. (*q*) Ea erat horum conventuum publicae ſocietatis utilitas (quamvis magno convenientium incommodo) tum ad lites, & controver-

ſias

(*k*) Voces inelegantiae Latinitatis, quae in hac Diſſertatione occurrunt ex Gloſſario Cl. Du-Cange facile intelligentur, ubi plurima etiam ſunt, quae eas ipſam clariorem reddunt.

(*l*) Videnda omnino ſunt haec placita, ut qui cives in iudiciis ſervarentur modo acuo probe diſcedique tenerentur, ea extant in Annal. S. Bened. Tom. 4. *pag.* 110. 119. *&* 646 *edit. Luc* & in Chron. Farfen. *Rer. Ital. Par.* 2. *Tom.* 2. *pag.* col. 503. 505. *&* 520.

(*m*) Cl. Muratorius in Praef. ad Leg. Lang.

(*n*) Vide placita, & alia monumenta, quae extant in *Antiq. Ital. Diſ.* 5. 6. 7. 8. 9. 10. 17. 31. & ibi paſſim.

(*o*) *L.* 83. *Leg. Lothar. III.*

(*p*) *Antiq. Ital. Diſ.* 31.

Digitized by Google

ſias inter ſubditos terminandas, tum ad animaduertendum in facinoroſos & nocentes homines, ut Concilium Romanum habitum an. 904. maxime Chriſtianae rei expedire iudicauerit, *ſi Epiſcopus quando opus fuerit ad comprimendos rebelles & contemtores publicum placitum conuocauerit*. (r) Cum itaque medii aeui temporibus Epiſcopi, Abbates, nec non Sanctimoniales ipſae, ceterique omnes Clero addicti, Imperatorum, Regum, Comitum, aliorumque Iudicum, tribunalia adire non dubitauerint, uel ut eorum patrocinium, ſiue, ut tunc loquebantur, *mundiburdium* impetrarent, & contractibus a ſe initis Imperatorum confirmatio accederet, (s) uel ut controuerſias, lites, diſſenſioneſque dirimerent, de quibus iudicio contendere uellent; (t) ipſi tamen, uel quia legum ſcientiae iniuria temporum expertes eſſent, uel quia ſiſtere ſe huminum laicorum tribunalibus abhurrerent, uel quia ab officiis quibuſdam obeundis legum beneficio ſoluti erant, numquam ſine *Aduocatorum* ope, & praeſentia placitis interueniebant. (u) *Defenſorum* munus, eorum nempe qui in iudiciis Eccleſiaſticas cauſas defenderent, iam uſque a V. ſaeculo in Occidentali Eccleſia inualuiſſe Mileuitanum Concilium apertiſſime demonſtrat. (x) Sed toto coelo aberrare ſuperiorum temporum Defenſores ab iis, de quibus in Eccleſiaſticis placitis ſaepiſſime occurrit mentio, quis non intelligat, qui uel alimine Eccleſiaſticas origines ſalutauerit? Illi ore tantummodo leges ac iura ſuppeditando, & cauſſidici dumtaxat munus obeundo, actoris uel rei partes agebant, hi non legibus tantum & uerbis iuſiurandum pro Clericis exhibendo, (y) ſed & manu propriaque fortitudine & armis iura, bona, & facultates Eccleſiarum patrocinabantur. (z) Conſulto hic praetermittam, quae de ipſorum ſtatibus, priuilegiis, ac emolumentis, quae de amplificata poteſtate, quae etiam de eorum prauitate, rapacitate, ac tyrannide, quae de eminenti illo gradu ad quem conſcenderant, ut & Comites ipſique Imperatores Aduocati munus non detrectarent, quae denique ad illorum hiſtoriam illuſtrandam in medium proferri potuiſſent. (a) Cum enim de eorum praecipuis mu-

(r) *Conc. Rom. hab. an.* 904. *can.* 12.

(s) *Antiq. Ital. Diſ.* 21. *pag.* 201. *& Diſ.* 31. *p.* 942.

(t) *Antiq. Ital. Diſ.* 71. *p.* 914. *& ſeqq.*

(u) *Antiq. Ital. Diſ.* 63.

(x) *Can.* 16. *Conc. Milev. II.* non Carthaginenſis, ut Du-Cange, in voce *Defenſor.* & Vaneſp. *in Par.* 2. *Iur. Eccleſ. Vniver. tit.* 25. *cap.* 1. *n.* 16. cenſuerint. De Defenſoribus vide Thomaſſ. *Vet. & Nov. Eccl. Diſcip. Tom.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 97. 98. *&* 99.

(y) Clerici enim iusiurandum praeſtare prohibebantur *Lag. cum clericis verſo quod ſi hi Cod. de Epiſc. & Cler.* & hac de cauſa pro iis Aduocatis iuramentum calumniae ſubire conceſſum erat per *L.* 18. *Lang. Lothar. I. & L.* 1. *Lang. Henr. II.* quae lex poſita eſt ad verbum in *cap.* 1. *de iuram. calumniae.*

(z) *Antiq. Ital. Diſ.* 63. *p.* 276.

(a) Praeter laudatam *Diſ.* 63. vide Thomaſſ. *Vet. & Nov. Eccl. Diſc. Tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 55. Vaneſp. *Ius Eccl. Vniver. par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 1. *n.* 14. *& ſeqq.*

muneribus in iudiciis uerba fecerimus, hinc ad eas inuitamur perluſtrandas exploratorias probationes, quae licet *Purgationes*, & *Iudicia Dei* adpellarentur, tamen earum pars maxima anilem quamdam ſuperſtitionem, & foediſſimam illorum temporum barbariem redolebant. (*b*) Illud hic non intelligo Purgationis genus ab uniuerſa Eccleſia, & Canonibus iam receptum, (*c*) quod antiquitus in templis peragebatur non tantum a reo, ſed pro cauſae momento ab immani etiam aliorum turba ad centeſimum, tercenteſimumque numerum aliquando adſurgentium, (*d*) qui *Sacramentales*, & *Coniuratores*, uel *Compurgatores* dicebantur, (*e*) & quae reus iurauerat, eadem ſe credere ueta ſacramento confirmauerant, (*f*) uel tactis Euangeliis, uel Sanctis Reliquiis, uel Aris, uel Eccleſiae Canone, vel ſacratis armis, uel aliis quibuscumque religionem praeleferentibus. Silentio etiam praeteream Purgationem illam per Euchariſtiam, Canonicam olim habitam, & qua ſe purgauit coram Henrico III Gregorius VII. (*g*) Spuria illa inhumana & crudelia ad ueritatem in iudiciis perquirendam experimenta animaduerto, quae licet numquam Eccleſiae uniuerſa auctoritate confirmata, (*h*) tamen adeo effraenatus quidam & male ſanus barbaricae ſuperſtitionis furor Italicas mentes inuaſerat, ut ſibimetipſis uitio non uerterent homines, Deum quotieſcumque illis libuiſſet ad miracula patranda tentare: quinimo putabant (quae eorum erat ſincera certe, ſed agreſti cum imperitia coniuncta religio) putabant, inquam, Deum ueritatem probaturum, & *per res contrarias veritati* (ut ait Agobardus (*i*) *ueritatem latentem monſtrari*. Ex hac, quam firmiter animo conceperant, opinione adeo experimenta illa mentes omnium occupauere, ut & ipſi Sacerdotes, ipſi ſacrorum Antiſtites, ea comprobauerint, eorumque Rituales Libri ueluti certam detegendae ueritatis formam commendauerint, atque praeſcripſerint. Plurimae adhuc exſtant religioſe concentae formulae, ſacri ritus, obteſtationes, quae in obeundis eiusmodi iudiciis a Diuinarum Rerum miniſtris peragebantur. (*k*) Harum praeterea quarumdam probationum inſtitutores ipſi

Ro-

(*b*) *Haec omnia ſunt illorum temporum ſordibus adſcribenda*, inquit loquens de Purgationibus Ant. Aug. *de Emend. Grat. lib.* 1. *Dial.* 15.

(*c*) Grat. *cauſ.* 2. *q.* 5. Decretal. *lib.* 5. *tit.* 34. & ib. Interp.

(*d*) Mabill. *Annal. S. Benedicti lib.* 14. *ad an.* 659. *p.* 417.

(*e*) *L.* 367. *Long. Rothar. Antiq. Ital. Diſſ.* 38.

(*f*) Conc. Tirroc. hab. an. 1242. apud Labb. Tom. 11. pag. 595.

(*g*) Nat. Alexand. *Hiſt. Eccl. Tom.* 6. *Saec. XI & XII. Diſſ.* 2. *art.* 5. *p.* 686. *edit. Pariſ. an.* 1699.

(*h*) *Decretal. lib.* 5. *tit.* 35. & *ib. Interpp.*

(*i*) *Lib. de Diu. iud. cap.* 2.

(*k*) De Purgationibus, earumque ritibus, benedictionibus, exorciſmis, aliiſque ad eaſdem pertinentibus, plurima uideri poſſunt apud Edmund. Martene *tom.* 3. *lib.* 3. *cap.* 7. *de Antiq. Eccl. Rit. p.* 456. Vanesp. *Iur. Eccl. Uniuer. par.* 3. *tit.* 8. *cap.* 4. Mart. Delrio *Diſquiſitionum Magicarum lib.* 4. *cap.* 4. *quaeſt.* 4. *ſect.* 1. & *ſeqq.* Interpp. ad Tit. & Rub. Decre-

Romani Pontifices uenditabantur. (*l*) Quo non irent populi praeeuntibus Sacerdotibus? Sacris itaque antea ſolemniter factis per ardentem ignem tranſibant, manus mittebant in ferventem aquam, totum corpus mergebant in frigidam, candentia inſtrumenta ferrea contrectabant, ad Crucem ſtabant ſublatis manibus, aliaque peragebant, quae nulli noſtrum non barbarie, aut ſaltem ſuperſtitione quadam contaminata, tam apud eos ſanctitatis, pietatis, ac religionis ſpecie & opinione commendata. Neque tantum Religioſi viri in ea conſentiebant, ſed & exemplo propriaque auctoritate roborabant. Inter plurima, quae proferri poſſent, monumenta, ea perpendite A. A. ad purgationem illam pertinentia, quae in Eccleſiis peragebatur vel ignitis laminis, quas nuda manu geſtabant, vel ſubſternendo novem aut duodecim ferreos ignitos & candentes vomeres, quos pariter aut manibus attrectabant, aut nudis pedibus in illis veſtigia premebant iudicium illud obeuntes. (*m*) Quae purgationis ſpecies adeo peruulgata erat & commendata, ut ipſam Reginae, & Imperatrices obirent, (*n*) Religioſi vero illi viri qui vitam in ſolitudine degebant, eam veluti propriam ſacrorum hominum Legem adeo defendebant, ut iudicium Monachis familiare exoſerit, & veluti *Lex Monachorum* cenſeretur (*o*). Quid dicam A. A. de purgatione illa, quam veluti ſaecularium propriam Monachi reſpiciebant, & quae nihilominus plurimum & apud ipſos obtinuit? (*p*) Iam intelligitis me verba facere de ſingulari illo certamine, quo nulla frequentior ad ambiguas diſceptationes dirimendas Purgatio (*q*). Supervacaneum ſane eſt, ut vobis ea patefaciam monumenta, quibus oſtendam monomachiam apud Eccleſiaſticos viros obtinuiſſe, quandoquidem in tabulario Piſani huius Archiepiſcopatus nonnulla & quidem egregia adſervantur. (*r*) Breviter itaque potius attingam, nonnullos ex Clero, veluti privilegium, ſibi

cietab. de Purgat. vulgari, aliosque quos laudat Cl. Murat. in *Diſ.* 38. *Antiq. Ital.*

(*l*) Vanesp. *loc. cit. n.* 15. 16 & 17. & alios ſuperius laudatos.

(*m*) *L.* 105 *Lang. Car. Mag.* 24 17 *q.* 4

(*n*) Richardam uxorem Caroli III Imperatoris, Kunigundem uxorem Henrici II & Emmam Angliae Reginam praeter alias memorant Auctores de Purgationibus agentes.

(*o*) Monachi in iudiciis ſe paratos eſſe aſſerebant, *aut calida ferri iudicio ſecundum Legem Monachorum, aut* [illegible] *Legem* [illegible] *fua defendere* Mabill. *Annal. S. Bened. lib.* 57 *ad an.* 1036 *p.* 379. & *lib.* 60. *ad an.* 1056. *p.* 518.

(*p*) Vide Placitum Ferrariae habitum coram Bonifacio Marchione &c. a Cl. Murat. editum in fine Praefat. ad Leges Lang.

(*q*) Vide Diſſert. I. W. Sleheri de iuſta defenſione honoris *cap.* 5. quae Gallice reddita extat in Tomo 2. Collectionis Diſſertationum, cuius titulus eſt: *Recueil de Diſſertat.* [illegible] *traduites ou composées par I. Barbeyrac a Amſt.* 1731.

(*r*) Horum quaedam edidit Cl. Murat. in *Antiq. Ital. Diſ.* 39 *p.* 3. & in *Excerpt. Arch. Piſani p.* 1137.

Digitized by Google

ſibi ab Imperatoribus uindicaſſe facultatem dirimendi, quum opus eſſet lites ſuas per duellum, quod alias ſine uenia Principum, aut Ducum, & Comitum nullatenus licabat. Id ipſa caſtris a Corrado I. Nouarienſis Epiſcopus, & Volaterranae Cathedralis Canonici ab Henrico II. impetrarunt. (s) Sed iam eo tandem rem perduximus, ut praecipuum illud Aduocatorum munus indicaremus. Cum enim Epiſcopi, Abbates, ceterique Eccleſiarum Praeſulas, quibus arma ferre in Certamina tota interdictum eſt, (t) non raro pugnam oblatam ſuſcipere, & etiam offerre cogerentur, cumque per Legem Ottonis II. ſtatutum eſſet, ut *de Eccleſiarum rebus per Aduocatus pugna fieret*, (u) ideo eorum defenſores, & Aduocati, non Cauſidici tantum erant, ſed & milites uti uel ut vocabant *Campiones*. (x) Vtinam uero non ultra proceſſiſſet Aduocatorum in Eccleſia neceſſitas. Vtinam pugilas tantum & athletae ad illius bona conſeruanda ſufficiſſent. Sed in eam inciderat calamitatem Italia, ut exortae inter homines controuerſiae non ſemper forenſi dumtaxat ſtrepitu, & interpoſita Regis, uel Magiſtratus auctoritate, ſed & aliquando armorum furore & potentia terminarentur. Priuati belligerandi quoddam *Faida* nuncupatum ad inimicitias domeſticas uindicandas Langobardicae Gentes in Italiam inuexerant, quod cum iam in deſuetudinem abiiſſet, ruſus tandem adeo uehementius exarſit, adeo ſaeuius graſſari coepit, ut quamuis Summi Eccleſiae Praeſules, Concilia pleraque, Imperatores & Reges ad illud omnino eliminandum atque exſtirpandum maxime deſudauerint, aliud tamen aſſequi magnis conatibus non potuere, niſi ut ſtatis ſolemnibus quibuſdam diebus induciae quaedam, quas *Treugam*, & *Pacem Domini* adpellauere, obſeruarentur. (y) Vidit itaque tunc Italia inermes a potentioribus oppreſſos, aliorum bona ui & armis direpta, peregrinos & mercatores expilatos, ruſticos ab incepto opere interruptos, templa uaſtata, in ipſos Sacerdotes arma conuerſa, omnia denique Diuina, & humana Iura contemta. Quam ob rem cum eo Italiae ſtatus deueniret, ut cuilibet ſua iura armis & bello proſequi ac tueri liceret, ut ab iis ſeſe defenderent malis Eccleſiaſtici viri, non iam Aduocatis, & Defenſoribus, qui res ſuas in placitis & mallis tutarentur, opus habuere, ſed potentibus militibus ac Imperatoribus, qui, ſi ad hoc neceſſitas compelleret, res & facultates Eccleſiarum praelio & armis defenderent, eaſumque milites ac uaſallos in aciem

(s) *Antiq. Ital. Diſ. 39. p. 641.*
(t) Thomaſſ. *par. 3. lib. 3 cap. 44. & cap. 45. n. 7. & cap. 46. n. 14. & ſeqq.*
(u) *L. 7. Lang. Otton II.*
(x) *Antiq. Ital. diſ. 39. p. 642. & 643. Diſ. 63. p. 276.*

(y) De Marca *de Concor. Sacerd. & Imp. lib. 4. cap. 14. n. 2. & 3. Antiq. Ital. diſſ. 23. pag. 307* Gonzal. cum aliis Interpp. *ad Tit. de Treuga & Pace lib. 1. Decretal.*

ciem & campum educerent. Vt igitur Proceres ac Principes, quos ad Eccleſiarum iura & poſſeſſiones defendendas earum Praeſules eligere inſtituerant, obſtringerentur quodammodo ad munus illud fideliter obeundum, partem quamdam Eccleſiaſticarum poſſeſſionum illis indulsere, quae clientelae iure ab ipſis Eccleſiis in Feudum poſſiderent, & hac ſaltem ratione tamquam earum uaſſalli bellis intereſſe tenerentur. (a) Ex hac itaque neceſſitatis ratione in conſuetudinem apud Eccleſiaſticos introducta ſunt *Feuda ſeu Beneficia* illa, quae a Langobardis primum apud Italos prufluxiſſe Italicarum rerum diligentiſſimi perſcrutatores iam demonſtrarunt. (b) Quantum uero ratio haec *inbeneficiandi*, ut aiebant, ſeu in beneficium dandi laicis hominibus res Eccleſiae, ut *ſe in uaſſaticos commendarent*, nempe ut fide praeſtita, & fidelitatis interpoſito ſacramento Eccleſiae partibus tanquam eiuſdem uaſſalli adhaererentur, tum plurima eorum temporum monumenta nos docent, (b) tum integer de Feudis Titulus Decretalium libris inſertus. (c) Cum uero non his tantum, quos Aduocatos ſibi adſciſcebant Eccleſiarum Rectores, ſed & Clericis praedia Eccleſiaſtica in beneficium darentur, quin imo, cum eadem quae laicis fruenda permiſerant ad eaſdem Eccleſias redirent, & poſtmodum Clericis tantum ſub titulo Eccleſiaſtici onore ad uitam conceſſa, beneficii nomen retinerent, (d) hinc originem duxiſſe puto, aut ſaltem quam plurimum incrementi accepiſſe Beneficia illa, quibus titulos, & dignitates Eccleſiaſticas tam Saecularium, quam Regularium, deſignamus. (e) Neque me latet Symmachum Pontificem iam inde ab ineunte ſaeculo VI. reſcripſiſſe Caeſario Epiſcopo Arelatenſi, ne praedia Eccleſiaſtica uſufructuario iure committerentur, *niſi forſitan*, ut ipſe inquit, *aut Clericis bonorum merita, aut Monaſteriis Religioſis, intuitus aut certe peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit*. (f) Sed haec iure quidem-

(a) Vaneſp. Thomaſſ. Murat. & alios ſuperius laudatos, qui de Aduocatis diſſeruere.

(b) *Plura in hanc rem erudite diſſerit Auctor Hiſtoriae Ciuilis Regni Neap. lib. 4. cap. 1. n. 3. Genitor quoque Adamus Struuius in Syntagmate Iuris Feudal. cap. 2. ſcribit ita primum in Italia a Langobardis Feuda celebrium auctorum teſtimoniis confirmat. Nota 55. ad Sigon. lib. 3. de Reg. Ital. an. 581. p. 34.*

(b) *Antiq. Ital. Diſſ. 63. p. 290.*

(c) *Tit. 20. lib. 3. & ibi Interpp.*

(d) Thomaſſ. Vet. & Nou. Eccl. Diſcip. Par. 2. lib. 3. cap. 13. n. 5. & par. 3. lib. 2. cap. 17. n. 4. & cap. 19. n. ...

(e) Bochemerus (*in notis ad Inſt. Can. Claud. Fleury Par. 2. cap. 26. p. 5. ... not. ult.*) putat etiam iura Patronorum eamdem habuiſſe originem, cuius verba haec ſunt: *fluxere haec inter ex moribus Feudorum. Quid enim olim aliud fuit patronus, quam dominus directus, qui de Eccleſia eique bonis aduocatis inueſtiebat presbyterum?*

(f) *Symmach. Epiſt. 5. Tom. 1. Epiſtolarum Summor. Pontif.* Haec Epiſtola memoratur etiam a Baron. ad an. 501. n. 36. *Tom. 9. p. 24. edit. Luc.*

merito rudimenta Beneficiorum adpellat Thomaſſinus, (*g*) nam rem penitus introſpicienti, uel ad oculum parebit quantum ab iis differant, quae poſterioribus deinde ſaeculis circa Beneficia ſtatuta, & introducta fuerunt. Et ſane illud ſaltem certi exploratique iuris eſt, non pridem VIII. exeunte ſaeculo Beneficii nomen in Eccleſiaſtico uſu fuiſſe. (*h*) Sed non uocabulum tantum Eccleſiarum Moderatores, in agrorum fundorumque partitione, quos beneficiario iure Clericis tranſcribebant, ſed & ipſam diſtrahendorum formam accepiſſe, argumento etiam eſſe poſſunt ſymbolicae illae traditiones, *Inueſtiturae* adpellatae, quibus in poſſeſſionem immittebantur, uel Eccleſiaſtici, qui Beneficium, ſeu Feudum recipiebant, uel qui agros poſſeſſioneſque obtinebant, de quibus in iudicio contendebatur. Erant nempe barbarico illo aeuo propria quaedam & peculiaria ſymbolica ſigna, quorum traditione de alio in alium poſſeſſiones transferebantur, & primo quidem legibus ac uſu eadem apud omnes definita, ex inde uero quaeque adhibita, dummodo affinitatem quamdam cum rebus illis, de quibus dominium in alios translatum iri uidebatur, haberent. (*i*) Ac niſi me argumenti ratio, atque exſpectatio ueſtra ad alia modo inuitarent, perſequerer ſane ſingula, quibus agrorum, Feudorum, Eccleſiarum, aliarumque rerum poſſeſſio acquirebatur. Dicerem per *Waſonem*, ut aiebant, ſeu caeſpitem terrae ex ipſo agro deſumptum fundi proprietatem in eum tranſlatam innui cuius manibus tradebatur, per ramum ceſpiti infixum ſoli ſuperficiem comprehendi, per *Feſtucam*, ſeu fuſtem, aut uirgam, in alium emptione & uenditione, uel alio quouis modo rei poſſeſſionem transferri; per annulum, maiorum praeſertim praediorum ac dignitatum factas inueſtituras; per uexillum, prouincias a Principe tradi & recipi, per gladium, quae poteſtatem ſignificabat Feuda concedi. Adderem per baculum & annulum, per librum Euangeliorum & Calicem, per *Cambutam* ſeu ferulam Paſtoralem, per funes ſeu chordas campanarum Epiſcopos & Abbates dignitatibus ſuis inueſtitos fuiſſe. Neque ſilentio praeterirem *Deueſtituras*, quibus bonorum poſſeſſione a iudicibus exſuebantur qui lite cadebant, ut eorum deinde iuribus, qui uictores euaſerant, inueſtirentur. (*k*) Ne uero in poſterum ab ullo unquam deturbarentur a poſſeſſione, qua a Regibus, uel Magiſtratibus inueſtiti fuerant illi quibus adiudicata erant praedia

 uel

(*g*) *Vet. & Nov. Eccl. Diſc. par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 6.

(*h*) *Idem Thomaſſ. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 5.

(*i*) Plura de Inueſtituris, earumque diuerſis modis ac ſymbolis inuenies in Gloſſar. Du-Cange, in Iuriſp. Symbolica Everar. Ottonis *Exerc.* 2. *cap.* 12. in notis ad Marculf. Hieron. Bignon. *lib.* 1. *cap.* 13. & ad Append. Marculf. *cap.* 19. in Cuiac. *adnot.* 2 *lib. de Feudis.*

(*k*) Conc. Prouinciale Benevent. I. habit. an. 1061. in *Synodico Benev.* *p.* 15. *Mabillon de Re Dipl. Lib.* 6. *cor.* 4. *p.* 632.

uel beneficia, mulctam quamdam ſtatuebant Reges ipſi, uel Magiſtratus ab inuaſore partim poſſeſſori, partim Fiſco aut Regiae Camerae perſoluendam, quod *bannum mittere* adpellabatur. (*l*) Eccleſiaſtici uero Spiritualem qua praecipue pollent, iuriſdictionem exercentes excommunicatione & anathemate eos feriebant, qui poſſeſſores deueſtire praeſumpſiſſent quo factum ut inde excommunicatio *bannus* Epiſcopi, & excommunicati *banniti* dicerentur. (*m*) In Eccleſiaſticis itaque monumentis ante annum a Chriſto nato milleſimum litteris conſignatis, & uſque adhuc in lucem eductis, (*n*) terribiles tantummodo reperiuntur comminationes, quibus utebantur Eccleſiaſticae Poteſtates in exleges & malos interminando illis iram Dei, aeternam damnationem cum Iuda traditore, & cum Satana eiuſque atrociſſimis pompis, (*o*) iudicium diuinum Datan & Abiron, maledictionem Sanctiſſimae Trinitatis & omnium Sanctorum, aliaſque paene innumeras horribiles imprecationes, (*p*) *quas*, inquit Mabillonius Eccleſiaſticarum rerum eorum temporum ſapientiſſimus Iudex, *a genio & ſpiritu VI. ac VII. Saeculi non diſcrepare ex Canonum Decretis, aliiſque eius aetatis exemplis manifeſtum eſt*. (*q*) Saeculis deinde undecimo & ſubſequentibus in Eccleſiaſtico uſu introductae pecuniariae poenae Lateranenſi Palatio (*r*) adplicandae, illas adhibuere Pontifices non tantum ut firmiora redderentur iudicia ab ipſis prolata, (*s*) & priuilegia ab iiſdem conceſſa, (*t*) ſed etiam ut homicidia, furta, aliaque crimina coercerent. Conſuetudinem nempe illam, quae iam inde ab antiquiſſimis temporibus apud Germanos, teſte Tacito, (*u*) inualuerat, ut non morte luerentur homicidia, ſed certo armentorum ac pecorum numero cum in Italia non Langobardi tantum, ſed & Septentrionales omnes retinuiſſent, (*x*) ita ut crimina fere omnia, (laeſae maieſtatis delictis, aliiſque paucis exceptis) *compoſitione*, hoc eſt poena quadam pecuniaria in legibus ſtatuta a delinquente praeſtanda vel Fiſco vel

(*l*) *Antiq. Ital. Diſ.* 19. & *Diſ.* 17. *p.* 972.
(*m*) Du-Cange in Gloſſario.
(*n*) Antiq. Ital. Diſ. 17. p. 942.
(*o*) Quid *Pompae* nomine intelligatur, vide in notis Io. Garnerii S. Ieſu ad formulam Priuilegii II. quae habetur in Diur. Rom. *cap.* 7. *p.* 119. & 120.
(*p*) Mabill. plurima huiuſmodi Excommunicationum exempla refert in *lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. & *ſeqq. de Re Dipl.* Steph. Baluz. terribiles eorum temporum Excommunicationum formulas collegit & edidit in *Capitul. Tom.* 2. *p.* 663. & *ſeqq.*
(*q*) Mabill. loco mox laudato *n.* 17. *p.* 101.
(*r*) Palatii voce pro Fiſco utebantur uſi ſunt etiam Langobardorum Reges, ut patet ex Priuilegio Aiſtulphi conceſſo Monachis Nonantulanis. *Rer. Ital. par.* 2. *Tom.* 1. *p.* 193.
(*s*) *Antiq. Ital. Diſ.* 17.
(*t*) *Rer. Ital. par.* 2. *Tom.* 2. *in Chron. Farf. an.* 1017. *p.* 518. & 521.
(*u*) De moribus German.
(*x*) *Antiq. Ital. Diſ.* 19. *p.* 34. *Diſ.* 22. *p.* 238. *Diſ.* 23. *p.* 326.

vel laeſo, vel heredibus, vel propinquis, expiarentur; adeo procedente tempora obtinuit, ut eam veluti Eccleſiaſticae pietati ſanguinem abhorrenti valde conſonam a Langobardis mutuare Eccleſiaſtici non dedignarentur. Hinc factum, ut Gratianus ſuo Decreto (y) inſeruerit Legem Langobardicam Caroli Magni (z) in qua ſtatuitur, ut *qui Subdiaconum occiderit 300. ſolidos componat, qui Diaconum 400. qui Presbyterum 600. qui Epiſcopum 900. qui Monachum 400.* & ſuperius in eodem Decreto retulerit Canonem Concilii Triburienſis (a), e Capitularibus erutum, (b) & in Decretalibus (c) etiam inſertum, quo decernitur quibus uſibus impendendum *Wirigeldum*, quod pecuniariae poenae erat nomen. Ceterum & ad uſque tempora Gregorii IX. invaluiſſe apud Eccleſiaſticos conſuetudinem illam crimina & homicidia ipſa pecuniaria poena expiandi, conſtat etiam ex Bulla ejuſdem Pontificis, per quam conſtituit poenas pro delictis ab hominibus Caſtri Serronis Apoſtolicae Camerae perſolvendas. (d) Sed iam ſatis pro temporis anguſtiis expoſui, & uſum quem apud Eccleſiaſticos habuere Langobardicae Leges, & quae praecipue ad iudicia Eccleſiaſticorum medii aevi pertinerent, & quid e Legibus Langobardicis in Ius Canonicum inlatum ſit.

Reliquum eſt ut Vobis in primis, Excellentiſſimi Viri, Vobiſque deinde, ceteri Ornatiſſimi Auditores, gratias quantas poſſum maximas agam, quorum omnium benevolentia & humanitate uſque adhuc orationem tanto exſpectatione & dignitate veſtra minori abuſus ſum. Sed illud precor obteſtorque meminetitis, me qui diſſerui adoleſcentem eſſe nondum a Vobis, Patres Ampliſſimi, omnino informatum atque expolitum, & vos qui iudicatis, vel Auditores eſſe doctiſſimos, vel Praeceptores omni eruditione & doctrina praeſtantiſſimos.

The-

(y) C. qui Subdiaconum 17. q. 4.
(z) L. 101. Lang. Caroli M.
(a) C. omnis Presbyteri 26. ea l. c. & q.
(b) Lib. 4. cap. 15. p. 777. Tom. I. Steph. B. luz.
(c) C. Presbyteri 2. de poenit.
(d) Haec Bulla eſt per extenſum in Antiq. Ital. Diſ. 19. p. 34.

Theſes ad Rub. & Tit. Decretal.

DE IVRE PATRONATVS

Quas in Piſano Atheneo

Publice defendendas proponit

ANT. FRANCISC. PIERI

Almi Collegii Ducalis Alumnus

Academiae Rudium Conſul, & Academicus Inexpertus

Nec non in eodem Atheneo

Publicus Iuris Pontificii Lector Extraordinarius.

I. Ius Patronatus uniuerſitati adnexum tranſit ad heredes etiam extraneos, dummodo ſint univerſaliter inſtituti.

II. Ius Patronatus reale tranſire poteſt ad Fideicommiſſarium univerſalem.

III. Patronus laicus pluries variare poteſt in praeſentando.

Diſpu-

Diſputabuntur Publice

In Auditorio Piſanae Academiae

Anno Domini MDCCXLIV.

Menſe Maio, Die Hora

Adnuente Illuſtriſs. & Reverendiſs. D.D. Caſparo Cerati, Patritio Parmenſi, Eccleſiae Conventualis Illuſtriſſimae, ac Sacrae Religionis D. Stephani Priore meritiſſimo, atque Piſani Lycei Provifore vigilantiſſimo.

Domini Arguentes erunt

D. Abbas Hippolytus Ioſephus Niccolini Patritius Florentinus, Almi Collegii Ducalis Alumnus, Academiae Inexpertorum Conſul, & Academicus Rudis.

D. Abbas Ioſeph Bellucci Florentinus, Almi Collegii Ducalis Alumnus, Academicus Rudis, & Inexpertus.

D. Abbas Coſmus Amidei, Almi Collegii Ducalis Alumnus, Academicus Rudis, & Inexpertus.

Ceterique Volentes.

99540305